idest ut discernat bonos a malis. electos ad dexteram statuendo reprobos ad sinis-
tram segregando. Congregate illi sanctos eius. Angelos alloquitur. Congregate inquit illi
idest deo deorum o angeli sanctos eius. i. adducite eos obuiam illi in aera. Angelica quippe
illa tuba hoc loco exprimitur. ad quem mortui resurgent. hoc et in euangelio
exprimitur. Ubi dicitur. Mittet angelos suos a quatuor uentis terre et colli-
gent electos eius. Qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Sacrificia
deo placita sunt bonorum operum acceptissima olocausta. Testamentum autem eius appella-
tur euangelium quia testamentum sancti recte ordinant. dum opere perficiunt quod ore
predicant. Et adnunciabunt celi iustitiam eius. Celi sunt apostoli et successores eorum
doctores sancti qui adnunciant iustitiam dei idest predicant semper euangelium.
Quod penas impiis premia repromittantur electis. iustitia quippe dei qua iusti re-
munerantur et reprobi iuste dampnantur. Quoniam deus iudex est. Residiceret.
Nolite timere inquit ecclesia mea licet multitudine palearum obfuscari et depri-
mi uideatis in presenti uita quoniam deus iudex est qui uentilabit paleas et
mundissima more suo grana recondet. Audi populus meus et loquar. Propheta
immo ipse dominus prophetarum per prophetam alloquitur specialiter populum iu-
daicum. Audi inquit. i. intellege. s. precepta mea o popule meus quem
mihi specialiter ex cunctis gentibus elegi. Et testificabor tibi idest
testificando tibi loquar. tibi unquam si audieris et mandata mea non contempseris. alias
aut contritte. Deus deus tuus ego sum. Sepius hoc inculcat ut altiori memoria
arcuis infigat. Non in sacrificiis tuis arguam te idest non agam tecum iam de
sacrificiis legalibus. Apte quippe hic de reprobatione legalium hostiarum loquitur.
Non arguam inquit te. in sacrificiis tuis. i. non contendam tecum pro eis nec
ultra repetam. Sed queri potest cur hec sacrificia reprobentur cum dominus
ea iusserit. Sciendum autem quia permisit quidem hec dominus non uero iussit.
Uidens illum populum pronum ad immolandum permisit sibi sacrificare
ne idolis immolarent. Sed quia hec sacrificia non elegit ostendit ei

License: cc-by-nc-sa – Lyon, Bibliothèque municipale, 788 (olim 706), LyonBM788_078_42V – Fragments of manuscripts from Lyon's cathedral library (https://fragmentarium.ms/view/page/F-u6r6/337/4930)